

• Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei me-
» moriam. Ad bonorum tutelam et malorum perniciem et vindi-
» ctam justitia caelitus emanavit, ut qui virtutis amore ad ea quae
» sua non sunt, manus extendere non formidant, saltem poenae
» formidine arceantur. Dudum siquidem, dum ad apicem summi
» apostolatus fuimus divina disponente clementia, meritis licet in-
» sufficientibus assumpti, mente revolventes calamitates, quas Chri-
» sti fideles pertulerant causantibus guerris et dissensionibus eo-
» rumdem: et quod Dominus noster Jesus Christus Dei filius, cujus
» vices gerimus in terris, post peractum inter homines nostrae
» redemptionis salutiferum cursum, cum ex hoc mundo ad patrem
» ascensurus esset, pretiosum suis discipulis et perpetuo obser-
» vandum iocale reliquerat in discessu, pacem videlicet, qua
» nihil dulcius nihilque desiderabilius est: ejus saluberrimo exem-
» plo edocti, ad pacem et concordiam procurandam inter univer-
» sos christianae religionis professores omnes nostros convertimus
» cogitatus. Et hoc incensi studio non solum Italiam, accersitis ad
» nos saepius illius potentatum oratoribus ad mutuam animorum
» conjunctionem exitavimus, sed etiam transalpinos principes, et
» remotissimas nationes missis ad id legatis et nuntiis nostris mo-
» nuimus, et tandem pro instanti temporis necessitate omnes chri-
» stianorum principes et potentatus ac universos Christi fideles
» ecclesiasticos et saeculares cujuscumque praeminentiae et digni-
» tatis existerent per alias nostras litteras monuimus et mandavi-
» mus eisdem ut mutuam inter se charitatem et pacem ac concor-
» diam, vel saltem per triennium, infra quod adhuc sumus, treu-
» gas, inducias seu belli moram, quas per easdem litteras aucto-
» ritate omnipotentis Dei pro defensione et securitate Dominici
» gregis, quem Salvator noster pascendum, tuendum atque curan-
» dum nobis commiserat, indiximus, et per universos christianos
» servari volumus; observarent, arma deponerent, et privatarum
» injuriarum oblitii, Christi redemptoris nostri injurias, offensiones
» et opprobria ulciscerentur, ac in infideles, qui christianorum